



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

13. de dierum operumque distinctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

perfecitque opus suum die sexto, nihilque
 postea fecit. quod in aliquo illorū non con-
 tineatur. Operatus est tamen postea, sicut ve-
 ritas in Evangelio ait, Pater meus operatur
 usque nunc, & ego operor illud. Operatur au-
 tem Deus (ut explicat Alcuinus super Gene-
 sin) quadrupliciter. Primò, in verbo omnia
 disponēdo: secūdo, in materia informi qua-
 tuor elemētōrū, de nihilo eam creādo. unde, *Eccle.*
 Qui viuit in æternum, creauit omnia simul: 8.
 Omnia, scilicet elementa vel omnia corpora,
 materialiter simul creauit. Tertiò, per opera
 sex dierū varias distinxit creaturas. Quartò,
 ex primordialibus seminibus non incogni-
 tæ oriuntur naturæ, sed natæ sæpius refor-
 mantur, ne pereant.

*Pater ope-
 ratur usque
 nunc qua-
 drupliciter.*

DE DIERVM OPERVM-
 que distinctione: & primò de
 opere primæ diei.

D I S T I N C T. 13. C A P. Primum.

*Prima distinctio operationis fuit
 lucis formatio.*

*De produ-
 ctione rerū
 corporaliū
 quantū ad
 principium
 formale.* **I**D ostēdit scriptura Gen. quæ cōmemora-
 ta rerum informitate, earū dispositionem
 à luce inchoauit, subdēs: Dixit Deus, fiat
 lux: & facta est lux. & diuisit lucem à tene-
 bris, appellauitq; lucem diē, & tenebras no-
 ctem. & factū est vespere & mane dies vnus.

Congruè autem mūdi ornatus à luce cœpit,
vt cætera quæ creanda erant, viderentur.

C A P. 2. *Lux illa rectè intelligi potest fuisse
spiritualis vel corporalis.*

Lib. 1.
in gen.
ad lit.
cap. 3.

Dicit Aug. q̄ lux illa, corporalis vel spi-
ritualis intelligi potest. Si spiritualis
accipitur, angelica natura intelligitur,
quæ prius informis fuit, sed postea formata
est, cum ad creatorem conuersa ei charitate
adhæsit. & ita diuisit lucem à tenebris, dum
Angelica natura, quæ prius erat tenebræ per
informatam & imperfectionem formatio-
nis, perfectionē accipiens, facta est lux. vnde
ait Aug. super Gen. Huius creaturæ infor-
mitas & imperfectio fuit antequàm forma-
retur in amore conditoris: formata verò est,
quando conuersa est ad incommutabile lu-
men verbi. Si verò corporalis fuit lux illa
(quod vtiq; probabile est) corpus lucidum
fuisse intelligitur, velut lucida nubes: quod
non de nihilo, sed de præiacenti materia for-
maliter factum est, vt lux esset, & vim lucēdi
haberet, cum qua dies prima exorta est: quia
ante lucem nec dies fuit, nec lux, licet tem-
pus fuerit.

f. 94. b. l. 1. 22

Lib. 1.
cap. 5.

Quæstio.

Si autem quæritur, Vbi est facta lux illa
cū abyssus omnem terræ altitudinem te-
geret? Dicitur potest in illis partibus facta, quas *Responsio.*

O iij

nūc illustrat solis diurna lux. Nec mirum in aquis lucē posse lucere, cū etiā nautarum operatione sēpius illustrētur, qui in profundum merfi, misso ex ore oleo aquas sibi illustrāt: quæ multò rariores fuerūt in principio quā nūc: quia nondū cōgregatæ fuerāt in vno loco. Facta est ergo illa lux, quæ vicē & locū solis tenebat, quæ motu suo circūagitata, noctem diemq; discernibat. Ibi ergo primam lucem apparuisse verisimile est, vbi sol quotidiano cursu circumuectus apparet: vt eodē tramite lux circūcurrens, ac primò ad occasum descendens, vesperam faceret: Deinde reuocata ad ortum, auroram. i. mane illustraret: & ita diuisit Deus lucem & tenebras: & appellauit lucē diē, & tenebras noctē.

C A P. 3. *Dies primus mane non habuit.*

Dies quandoq; dicitur lux illa, quæ tri-
duo illo tenebras illuminabat: quādo-
que & ipsa aeris illuminatio. Dicitur
etiā spacium 24. horarum. qualiter accipitur
cū dicitur, Factum est vespere & mane dies
vnus. i. factū est vespere prius, & postea ma-
ne: mane enim dicitur finis præcedētis & ini-
tiū sequentis diei. Ideo mane primus dies nō
habet, quia nec dies præcesserat, q̄ sequētis
initio terminaretur. Vnde Beda sup Gen. De-
cebat vt dies à luce inciperet, & in mane se-
quētis diei tēderet: vt opera dei à luce incho-
asse, & in lucem cōpleta esse significarēt.

*Aug.
super
gen.
lib. 1.
cap. 10.*

CAP. 4. Ordo dierum naturalis diuersus ab ordine dierum mystico & legali.

Hic est naturalis ordo distinctionis dierum, vt distinguantur dies atq; cōputentur à mane vsque ad mane: postea verò in mysterio factū est, vt dies cōputentur à vespera in vesperam: quia homo à luce per peccatū corruit in tenebras ignoratiæ & peccatorū. Deinde per Christū à tenebris ad lucem rediit. vnde Apostolus, Eramus aliquando tenebræ, nunc autē lux in domino.

Quæstio Duplex.

Cur factus est sol, si lux illa sufficebat? *Prima.*

Dici potest, quoniam illa solū fortè superiores partes illustrabat: ideo opus erat sole, qui inferiores illuminaret. vel ideo potius, quia factō sole, diei fulgor auctus est. Sed quid de luce illa factū est? potest dici, q̄ aut de ea corpus solis formatū est, aut in ea parte esse cæli, in qua sol est: non q̄ ipsa sit sol, sed sic est ei vnita, vt discerni non valeat.

Quis sensus illius, Dixit Deus.

lib. 1. cap. 9. Aug. super Gen. tradit, nec tēporaliter nec sono vocis Deū loquutū fuisse, quia si tēporaliter, vel alio modo: igitur mutabiliter. Nec corporaliter sonuisse dicitur vox Dei: quia nec lingua erat, qua loqueretur: nec erat quem oporteret audire & intelligere. Bene ergo vox Dei ad naturam ipsius verbi, per quod omnia facta sunt, refertur,

Secunda.

in quo disposuit ab æterno quod fieret in tempore, & in eo factum est.

Quis sensus illius, Pater operatur in Filio, vel per Filium, vel in Spiritu sancto.

Hæc enim scriptura frequenter nobis proponit: vt, Omnia in sapientia fecisti, id est in Filio: & in principio, id est Filio, creauit Deus cælum. & illud, Per quem fecit & secula: & illud, Verbo domini cæli firmati sunt. *Ps. 103* exponēs Aug. dicit: Pater operatur per Verbum suum & Spir. sanctum. Quæ sic intelligere oportet, non (vt quidam existimauerūt *ps. 33*, hæretici) Patrem, tãquam authorem & artificem, Filio & Spiritu sancto, quasi instrumẽto, vti: sed potiùs q̃ Pater cū Filio & Spiritu sancto operatur, & sine eis nihil facit. Sed dicit hæreticus: Hac ratione posset dixisse Filiũ operari per Patrẽ, vel in Patrẽ & Spiritũ S. cum vtroq; vel per vtrũq;. Cui breuiter respondetur, ideo illud dictũ esse & nõ istud, vt in Patre mōstraretur authoritas. Nõ enim Pater à filio, sed Filius à Patre operatur, & Spiritus S. ab vtroq;. Vel etiã dici potest Pater per Filiũ operari, quia Filium genuit omnium opificem. Sicut dicitur Pater eum iudicare, quia genuit iudicem. & vterq; per Spiritũ S. quia *ho. 2 in* ab vtroque procedit factor omnium, vt dicit *1. cap.* Chryso. in expositione epistolæ ad Hebr.

Obiectio.